



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio tertia. Vtrum gratia fuerit Christo connaturalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

Magistri Durandi de
QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum gratia fuerit in Christo naturalis.

Tho. 3. q. 7. ar. 13.

Tertio queritur, vtrum gratia fuerit Christo naturalis. Et arguitur quod sic, quia illud est rei naturale, sine quo res non potest existere. Sed sine gratia vnionis Christus non existeret, quum Christus nominet suppositum in duabus naturis, ergo gratia vnionis est Christo naturalis.

1. Itē arguitur de gratia habituali sic, illud est naturale, quod est a principio intra. In hoc enim differ ars a natura, quod natura est principium intra. Ars est principium extra. Sed gratia habitualis est in Christo a principio intra, scilicet a Deitate, ergo ipsa est Christo naturalis.

2. IN contrarium arguitur, quia nihil supernaturale est alicui naturale vel conaturale, quia diuiduntur ex opposito, sed gratia tam vnionis quā habitualis est aliquid supernaturale, ergo neutra eorum est Christo naturalis, vel connaturalis.

4. **RESPONSIO.** Questio ista facit mentionē de duplici gratia, scilicet de gratia vnionis quæ nihil aliud est quā ipsa vnio gratis a Deo facta. Et de gratia habituali, quæ conuenienter ponitur esse quoddam donū supernaturale perficiens animam. Et de vtraque gratia dicitur quod nulla est Christo naturalis, loquedo proprie. Est tamen naturalis similitudinariē per quandam adaptationem, quā quidam vocant conaturale. Primum patet sic, illud est proprie naturale alicui quod sequitur ad naturam, seu ad principia naturæ, & naturaliter sicut naturale est leui ferri sursum, & graui deorsum. Sed neutra gratia, scilicet vnionis, vel habitualis sequitur naturaliter ad aliquam naturam existentem in Christo, ergo neutra gratia est proprie Christo naturalis. maior patet, minor declaratur, quia gratia vnionis non consequitur naturaliter ad naturam humanam in Christo, eo quod in natura humana non est aliqua naturalis habitudo ad vnionē cum persona diuina, sequitur autem ad naturā diuinam, sed non naturaliter, imō merē gratuito, seu voluntariē. Similiter gratia habitualis nō sequitur naturaliter ad naturam humanam, alioquin non eiset gratia, quia nihil debitum naturalibus est gratuitum, sequitur autem ad naturam diuinam, sed non naturaliter, sed gratuito, quemadmodum dictum est de gratia vnionis, quare &c.

3. Secundum patet sic, illud quod inest rei a principio suæ entitatis, & ab intrinseco est naturale per similitudinem, eo quod naturalia proprie dicta sequitur principia intrinseca, & statim nisi sit aliquid prohibens, sicut dictū est de motu sursum & deorsum in leuibus & grauibus, quia quātum dat generans de natura & de forma tātum dat de motu ad locum, sed gratia fuit in Christo ab initio suæ conceptionis, & a principio intrinseco, scilicet a natura diuina, quare, vt videtur, potest aequaliter dici naturalis, saltem similitudinariē, vel connaturalis.

6. **A**d primum argumentū dicendum quod nō omne illud est proprie alicui naturale, sine quo non potest esse. Sed requiritur quod sit consequens ad naturam, nō antecedens, & sequatur ex necessitate, & non ex liberate voluntatis. gratia autē vnionis non sequitur personā Christi, vt subsistit in duabus naturis, sed potius antecedit, vel saltem est simul, ipsa etiam ex beneplacito diuino, & non necessario est concomitans, vel sequens aliquam naturam in Christo. & ideo non est proprie naturalis.

7. **A**d secundum dicendum quod gratia habitualis, licet sit a principio intrinseco, non tamē sequitur ad ipsam naturaliter, sed liberē.

8. **A**rgumentum verō in oppositū solum probat quod non est proprie naturalis propter causam assignatam.

Sententia huius distinctionis. V.
in generali & speciali.

Proterea inquiri oportet. Superius determinauit Magister, quid sit assumens, & quid assumptum. Hic verō determinat de vtroque simul, vtrum assumens & assumptū habeant rationē naturæ, an personæ. Et diuiditur in tres. Primō mouet questionem. Secundō soluit ibi, hæc questio, siue inquirendi ratio. Tertio determinat quasdam incidentes dubitationes ibi. Sed queritur vtrum diuina

Sancto Porciano

persona. Secunda itarū hæc inquisitio diuiditur in duas. Primō questionem determinat, quāntū ad illud quod habet facultatem & manifestā veritatem. Secundō quāntū ad illud quod habet difficultatē, & est in questione magnum dubium: de quarto verō questionis hæc secunda habet duas. Primō opponit per rationem ad vtramque partem dubitationis. Secundō soluit, & solutionē confirmat ibi. Nos autem omnis mendacii. Petra pars ibi. Sed queritur, vbi mouet quasdam questiones circa prædicta, diuiditur in duas. Primō mouet questiones. Primō quātum ad hoc quod dicit naturam assumpti naturæ. Secundō quātū ad hoc quod dicit personam non esse assumptam, ideo verō non homo hominis personā. Prima diuiditur in duas, secundum duas questiones quas mouet, & soluit ibi. Si autem diuina natura. Secunda verō ibi. Ideo verō persona, in qua mouet dubitationes circa secundum dictum diuiditur in duas. Primō ostendit veritatem. Secundō arguit dupliciter in contrarium, & soluit ibi. Huc autem a quibusdam. Hæc est sententia & diuisio lectionis in generali.

2. **I**N speciali sic procedit. Primō queritur vtrum persona assumpserit personam, vel persona naturā, vel naturam naturam, vel naturam personam: & vtrum ita conuenienter possit dici diuina natura incarnata, sicut dicitur Deus incarnatus. Et respondet quod in istis que sit aliquid est clarum, aliquid dubium. Clarum & certū est quod nec natura personam, nec persona personam, sed persona naturā assumpserit, quod probat per autoritates Aug. De quarto verō questionis articulo, scilicet vtrum natura naturā assumpserit, ponit autoritates ad vtramque partem. Et primō quod natura non assumpserit naturam. Et secūdō in contrarium, scilicet quod natura assumpserit naturam. Et tertio ponit alias autoritates, quæ dicunt personam assumpserit naturā, & naturam diuinā esse vnitam naturæ humanæ, & eam assumpserit. Magister autem cōcordat in hanc vltimam sententiam: & confirmat eam ex verbis Damasc. quæ patent in li. tera. Tunc querit vtrum diuina natura, ex quo est carnis vnita, debeat dici caro facta, sicut dicitur in carnata. Et dicit quod non, ne per talem locutionem intelligatur conuertibilitas vnus naturæ in aliam: vnde melius est talem locutionem tacere, vel negare, quā asserere. Postea querit ex quo diuina natura assumpserit naturam humanam, vtrum debeat dici facta homo, sicut filius Dei dicitur factus homo. Et dicit quod non, quia filius assumpserit naturam hominis in vnitate suæ personæ, sed natura diuina non assumpserit naturam humanam in vnitate naturæ. Ideo verō filius non assumpserit personam, quia caro & anima quæ assumpserit, non fuerunt prius vnita inter se ad constitutendū propriam personam. si fuerit verbo vnita. Item arguit quod anima cum sit rationalis nature indiuidua substantia est persona, ergo filius Dei assumendo animā, assumpserit personam, respondet quod anima separata est persona, nō autē coniuncta quomodo fuit assumpta. Et in hoc malē dicit, quia nec separata, nec coniuncta est persona, quum non sit cōpleta substantia. In fine addit plures autoritates: quæ dicunt quod filius Dei assumpserit hominem. Et sic videtur assumpserit personam. Et responderet quod nō, nisi hominis intelligitur natura humana, vt sit sensus, assumpserit hominem, id est, naturam humanam.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum naturæ diuinæ conueniat assumere naturam humanam.

Tho. 3. p. q. 3. ar. 1. & 2.

Circa distinctionem quintam primō queritur, vtrum naturæ diuinæ conueniat assumere naturam humanam. Et videtur quod non, quia sicut se habet persona ad personam, ita natura ad naturam: sed persona diuina nō potest assumere personam humanam, quia tūc essent duæ personæ, & per consequens non esset assumpta, ergo natura diuina non potest assumere naturam humanam.

2. **I**tem quod conuenit naturæ diuinæ conuenit toti trinitati, sed assumere naturam humanam non est cōmune toti trinitati, sed proprium filio: ergo assumere non conuenit diuinæ nature.

3. **I**N contrarium est quod dicit Aug. de fide ad Petrum, illa natura quæ semper genita manet ex patre, id est, quæ est per generationem æternam accepta a patre, naturam a matre sine peccato suscepit. Ad idē sunt multæ

auto.